

tatis manifestatio expectaretur vel a diabolo, et esset superstitio; vel a Deo, et esset tentatio Dei.

3<sup>o</sup> Non est licitum duellum ad finiendam litem vel controversiam inter privatos: quia vel instituitur duellum, ut per ejus eventum dignoscatur qua parte stet justitia, et sic redit argumentum præcedens; vel instituitur tantum ad hoc, ut, facto duello, partes a lite cessent, et tunc insanum et diabolicum est velle incurrere periculum vitæ, ut desistant a lite, a qua possunt propria voluntate et tuta vita desistere, aut quæ potest autoritate supremi principis, vel sorte non periculosa terminari.

4<sup>o</sup> Per se loquendo, non est licitum duellum ad finiendam controversiam, seu ad evitandum aut terminandum bellum inter supremos principes; quia duellum neque a Deo neque a natura est medium ordinatum et proportionatum ad propulsandam injuriam, vel ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata, quæ sunt duæ bellorum et controversiarum causæ inter supremos principes. Ergo. — Prob. ant. Is cujus respublica habet jus, potest æque vinci ac alter. Vel enim est par utriusque pugnandi facultas, vel si unus sit exercitator, plurima solent in hoc singulari certamine accidere, ob quæ sæpe fortior et exercitator succumbit; adeoque justitia et bonum commune reipublicæ, sive in propulsanda injuria, sive in obtinenda satisfactione, quod communibus totius communitatis viribus propugnari debet, exponitur aleæ duelli. Ergo.

Neque dicas pariter bonum commune exponi aleæ belli. Non enim potest princeps supremus inire bellum sive defensivum, sive offensivum, nisi major spes affulgeat vincendi, sive vi, sive insidiis, sive ope confœderatorum; aut, si vincatur, restaurandi et augendi vires. Hostis enim in hostem se habet ut agens in passum; agens autem non agit nisi sit fortius passo.

Cum ergo *opponitur*, melius esse terminare bellum morte unius quam multorum, *respondetur* id verum esse quando occisio unius est medium ordinatum et proportionatum ad utiliter pro republica terminandum bellum; quod negamus de duello, nisi per accidens, in casibus

infra referendis. Et ideo dixi, « per se loquendo, non est licitum ».

Dixi etiam in responsione, « raro » duellum esse licitum autoritate publica; quia a pluribus assignantur quidam casus in quibus videtur esse licitum autoritate publica.

Primus est, si is qui juste bellum gerit, se viribus inferiore hosti sentiat, et esse aut configendum et succumbendum, aut duellandum, potest et acceptare et offerre duellum; quia bonum commune eo meliori modo quo potest defendit et minus periculum eligit. Idem, propter eandem rationem, videtur dicendum, si sit dubius de victoria, nec sit spes restaurandi exercitum casu pro profiigetur.

Secundus casus. Si duces, attentis belli incommodis, bonorum detrimentis, multorum necibus, etc., utilius reputent reipublicæ controversiam duello quam bello dirimere; tunc enim reputatur a pluribus duellum licitum ex parte ejus qui bellum justum gerit, modo tamen inde non fiat victoria magis dubia quam in bello.

Tertius casus est, si ex hoc quod duellum ab hoste oblatum non acceptetur, fiat hostis audacior et potentior, alter dejectus et timidior. Tunc etiam posse acceptari, multorum est opinio. Et videtur in pari casu David pugnasse contra Goliath; aut dicendum, sic pugnasse ex instinctu divino.

*Potes* 3<sup>o</sup> quæ sint pœnæ duellantium.

[Pœnæ sequentes fuerunt a concilio Trident. latæ, sess. xxv, de Reform., cap. 19: « Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati ac jurisdictione et dominio civitatis, castri aut loci in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, et si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommuni-

cationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, et ut homicidæ, juxta sacros canones, puniri debeant, et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio seu prava consuetudine, etiam immemoriali. »

Pœnæ proscriptionis omnium honorum et perpetuæ infamiæ, quæ jam applicari nequeunt, obsoleverunt.

Pœnæ excommunicationis latæ sententiæ inter censuras Romano Pontifici simpliciter reservatas adnumeratur in constit. *Apostolicæ Sedis*, 12 oct. 1869. Fertur in « duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes; et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. » Ita confirmatæ fuerunt, præter decretum Trident., constitutiones Gregorïi XIII, *Ad tollendam*; Clementis VIII, *Illius vices*; Benedicti XIV, *Detestabilem*.

Hic textus, satis perspicuus, explicabitur infra, *de Censuris*. Advertendum est tantum hic, excommunicationem latius quam in decreto Tridentino se extendere, nempe ad provocantes cum animo pugnandi, et ad acceptantes, etsi quacumque ex causa duellum non sequatur. Hoc plene concordat cum bulla præfata Clementis VIII.

Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, quæ est pœna distincta ab excommunicatione, fuit decreta a Trident. contra eos tantum qui « in ipso conflictu decesserint. » Ut efficacius duellorum abusus extirparetur, Benedictus XIV, in constitut. *Detestabilem*, 10 nov. 1752, severius agendum statuit: « Decernimus ac declaramus, inquit, sepulturæ sacræ privationem a sacrosancta Tridentina synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam judicis, a decedente

quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit: sublata episcopis et Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate; quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

Aliquis forsitan *objiciet*, hanc pœnam minus stricte præseribi in *Rituale Romano* jussu ejusdem Benedicti XIV *aucto et castigato*, ubi legitur, tit. *de Exequiis*: « Negatur ecclesiastica sepultura... morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa; » per quod pœna restringi videtur ad duellantes morientes « in ipso conflictu, » ut a Trident. fuerat statutum.

*Resp.* constitutionem *Detestabilem* editam fuisse post Breve *Quam ardenti*, quo Benedictus XIV, 25 martii 1752, novam *Rituale* editionem approbavit.]

*Petes 4º* si unus vel ambo ad servandum honorem se provocent ad duellum, non animo pugnandi, certo scientes impediendum ab amicis, aut aliter non futurum, vel etiam animo pugnandi et aliquos ictus inferendi, sed certi moraliter quod nullum inde damnum sit secuturum, verum potius pax concilianda, incurrant excommunicationem.

*Resp.* probabiliter negative, quia non provocant vere, sed apparenter tantum ad duellum; est enim duellum pugna periculosa. In foro tamen externo, ubi non iudicatur de internis, reputabitur duellum, et ideo non est excusandum a culpa.

*Petes 5º* quis possit absolvere a duello.

*Resp.* Clementem VIII, bulla citata, soli Papæ hunc casum reservasse, derogando facultatibus et indultis concessis quibusvis personis cujuscumque ordinis, status, gradus aut conditionis.

[In constit. *Apostolicæ Sedis*, ut supra dictum est, hæc

censura inscribitur inter casus simpliciter Romano Pontifici reservatos, ideoque illi applicari potest cap. *Liceat*, concilii Trident., de quo infra.]

Nihilominus graves authores censent quod, quando casus est occultus, episcopi possint ab illo absolvere, propter privilegium illis concessum a concilio Trid., sess. XXIV, cap. 6, *Liceat*, cui non est derogatum per hanc constitutionem Clementis VIII, cum de illa nulla fit mentio, prout debebat fieri, ut censeretur derogatum. Ita Lezana, post Bonacinam et Sanchez. Et talem puto esse praxim communem.

#### ARTICULUS IV

##### *De scandalo.*

*Petes* 1° quid sit scandalum.

*Resp.* Scandalum recte definitur « dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis 1. »

Dicitur 1° « minus rectum 2, » non hoc sensu quod sit rectum et ab aliquo alio superetur in rectitudine, sed quod habeat aliquem defectum rectitudinis: id est, non rectum, sive quia est secundum se malum et peccatum; sive quia, licet ex genere bonorum, habet speciem mali ex circumstantiis, aut ex eo quod soleat male fieri, et facile præsumatur sic fieri, etiam quando bene fit: sicut cum aliquis recumbit in idolo; quamvis enim hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis non corrupta intentione faciat, tamen quia habet quamdam speciem mali, vel similitudinem venerationis idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ. Et ideo Apostolus monet, I *Thess.*, v, 22: *Ab omni species mala abstinete vos.*

Dicitur 2° « præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, » ut cum quis suasionem, consilio, exemplo, etc., inducit alium ad peccandum. Neque est necesse quod expresse

1. Hic q. 43, a. 1, o. — 2. Ibid., ad 2.

intendat peccatum alterius, sed sufficit quod dicat vel faciat id ex quo, attentis circumstantiis, natum est sequi peccatum alterius. Non ergo omne peccatum coram aliis commissum semper habet malitiam scandali, sed quando prævidetur aut prævideri potest ac debet periculum ne alii coram quibus committitur, per illud inducantur ad peccandum.

*Petes* 2° quotuplex sit scandalum.

*Resp.* Duplex est scandalum<sup>1</sup>, unum activum, quod definitivum; aliud passivum, quod est ruina spiritualis proximi occasione dicti vel facti alterius.

Activum duplex: unum per se, aliud per accidens. Activum per se est, quando quis expresse intendit suo facto vel dicto inducere alterum ad peccatum; vel, si non intendat expresse, tale est factum aut dictum, ut ex se sit inductivum ad peccatum. Activum per accidens, est dictum vel factum ex quo, præter intentionem peccandi et conditionem operis, aliquis male dispositus inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis alterius. Et hoc scandalum, si nullo modo, nec etiam implicite sit intentum, est improprie scandalum.

Scandalum passivum est etiam duplex, datum et acceptum. Datum est quod vere oritur ex alterius dicto vel facto quod revera malum est, aut speciem mali habet. Acceptum est quo quis ex dicto vel facto alterius, præter omnem ejus intentionem et conditionem operis, ex sola sua sinistra interpretatione sumit occasionem peccandi: idque vel ex infirmitate aut ex ignorantia, et dicitur scandalum pusillorum; vel ex sola malitia, et dicitur scandalum pharisaicum, quia Pharisei ex malitia scandalizabantur ex sanctissimis dictis et factis Christi, *Matth.*, xv, 1 seqq.

Quandoque ergo est scandalum passivum sine activo, ut pharisaicum; quandoque est activum sine passivo, ut cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, et ille non consentit. Quandoque est activum cum passivo, ut cum ad inductionem unius, alius peccat.

1. Ibid., a. 4, o. — 2. Ibid.

*Petes* 3<sup>o</sup> utrum scandalum activum sit peccatum.

*Resp.* Omne scandalum activum proprie dictum, est peccatum ex genere suo mortale<sup>1</sup>; quia vel opus scandalizans est secundum se malum, vel habet speciem mali, et ideo omittendum propter proximi charitatem, qua tenemur saluti proximi providere. Unde scandalum opponitur charitati et misericordiae, quatenus hæc inclinat ad correptionem fraternam; consequenter peccatum mortale ex genere.

[Gravitas scandali in se sumpti ex verbis Domini apparet. Dicit enim, *Matth.*, xviii, 6 et 7: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis! Necessè est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit! Si scandalum activum sit majus malum quam mors corporalis, si Christus contra illud maledictionem væ! ingeminet, est certe quid per se grave.]*

Potest tamen fieri veniale<sup>2</sup>, non solum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materiæ: ut si quis ex levi et veniali indiscretionem dicit aut facit id quod habet aliquam speciem mali, unde alter præter intentionem agentis inducitur ad peccandum mortaliter; vel si quis per peccatum veniale intendat alium inducere in peccatum veniale tantum.

*Petes* 4<sup>o</sup> utrum scandalum activum sit speciale peccatum.

*Resp.* Scandalum per se et ex intentione expressa est speciale peccatum<sup>3</sup>, quia specialem habet repugnantiam ad charitatem, qua tenemur velle bonum spirituale proximi.

2<sup>o</sup> Scandalum sine intentione expressa, quod Author vocat hic scandalum per accidens, si detur per opus

1. Ibid. — 2. Ibid. — 3. Ibid., a. 3, o.

secundum se bonum vel indifferens, sed habens speciem mali, est speciale peccatum; quia est peccatum, et non habet aliam rationem peccati quam scandali.

3<sup>o</sup> Scandalum sine expressa intentione, et hoc sensu per accidens, quod datur per opus jam ex se malum, non est speciale peccatum, est tamen specialis circumstantia actus mutans speciem<sup>4</sup>; quia quando sunt plures malitiæ in uno actu, prima essentialis et specifica desumitur ex objecto primario et directe volito, circumstantia autem, quæ est quoddam accidens actus moraliter sumpti, sumitur ab objecto secundario et indirecte volito. Ergo.

*Petes* 5<sup>o</sup> utrum bona tam spiritualia quam temporalia sint dimittenda pro vitando scandalo passivo.

*Resp.* 1<sup>o</sup> Bona spiritualia quæ prætermitti non possunt absque peccato, non sunt dimittenda pro scandalo passivo vitando<sup>2</sup>: quia implicat aliquod peccatum, etsi tantum veniale, esse licitum; hoc ipso enim desineret esse peccatum. Unde Apostolus, *Rom.*, iii, 8, dicit: *Non faciamus mala ut veniant bona.*

*Resp.* 2<sup>o</sup> Bona spiritualia quæ prætermitti possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum pharisaicum, si subsit aliqua causa ea non differendi<sup>3</sup>: quia, cum hujusmodi scandalizati peccent ex malitia, non sunt in necessitate a qua non possunt se facile liberare sine ope alterius; et alioquin daretur locus iniquis impediendi bona opera cum vellent. Unde hoc scandalum non esse curandum docuit Christus, *Matth.* xv, 14, quando discipulis referentibus quod Pharisei scandalizabantur ex ejus dictis et factis, respondit: *Sinite illos; cæci sunt et duces cæcorum.*

*Resp.* 3<sup>o</sup> Hujusmodi bona spiritualia quæ prætermitti possunt absque peccato, si non immineat periculum, sunt propter scandalum pusillorum occultanda aut differenda<sup>4</sup>, donec reddita ratione, hujusmodi scandalum cesset; quia proximo in necessitate spirituali constituto tenemur subvenire, quando commode possumus. Atqui

1. Ibid. — 2. Ibid., a. 7, o, et ad 5. — 3. Ibid., o. — 4. Ibid.

qui ex ignorantia vel infirmitate peccaturus est ex meo facto, est in necessitate spirituali. Ergo, cum possum commode illud occultare vel differre donec instruat, ad id teneor.

*Resp. 4<sup>o</sup>.* Quando occurrit aliquod præceptum affirmativum, sive naturale, sive positivum divinum vel humanum, aut etiam negativum divinum vel humanum, non prohibens res intrinsece malas, impossibile cum præcepto naturali de vitando scandalo proximi, perpendendum est quodnam, omnibus attentis, sit majus et magis obligans, et illud est servandum; quia, quando concurrunt duo præcepta quæ non possunt simul observari, majus obligat, et alia desinunt obligare pro tunc. Porro præceptum de vitando scandalo pusillorum, quandoque magis, quandoque minus obligat quam alia, ut patet in casibus frequentibus, qui communiter admittuntur.

1<sup>o</sup> Correptio fraterna est juris naturalis, et tamen est omittenda, si corripendus inde scandalizetur et fiat deterior. Similiter punitio peccatorum est juris naturalis, et tamen, juxta Augustinum, lib. III *contra Epist. Parmen.*, c. 2, est dimittenda, ubi ex illa periculum schismatis timetur<sup>1</sup>.

2<sup>o</sup> Prædicatio Evangelii est juris divini positivi, et tamen ab ea cessandum est propter scandalum<sup>2</sup>, *Matth.*, VII, 5 et 6. Item integritas confessionis est præcepti divini, et tamen mulier in confessione potest et debet omittere peccatum ex quo intelligit confessarium, cui necessario confiteri debet, grave scandalum ex infirmitate passurum.

3<sup>o</sup> E contra, si scias ex ingressu in domum cujusdam mulieris, in qua est infans baptizandus, quem nemo alius vult baptizare, oriri scandalum, nihilominus debes ingredi, præmissa, si possibile sit, monitione; quia præceptum subveniendi salutis infantis præponderat præcepto scandali vitandi. Idem propter idem est dicendum, si ex baptismi necessarii collatione prævideas aliquos graviter commovendos et blasphematos.

1. *Ibid.*, ad 1 et 3. — 2. *Ibid.*, ad 2.

*Resp. 5<sup>o</sup>.* Temporalia bona quorum nos sumus domini, propter scandalum pusillorum, vel sunt totaliter dimittenda, ea tribuendo, si penes nos habeamus, aut ea non repetendo, si penes alios sunt (intellige, si non sint gravis momenti), vel scandalum est sedandum per monitionem aut instructionem<sup>1</sup>; quia tenemur subvenire necessitati spirituali proximi, licet non extremæ, cum aliquali nostro damno temporali, ut patet ex dictis de ordine charitatis et de correptione fraterna. Quod si post instructionem adhuc scandalum duret, ordinarie tunc est ex malitia.

Si vero scandalum sit ex malitia et pharisaicum, propter eos qui sic scandala concitant non sunt dimittenda temporalia<sup>2</sup>: quia hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, et noceret ipsis rapientibus, qui, retinendo aliena, in peccato remanent.

[*Petes 6<sup>o</sup>* utrum liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur.

*Resp.* affirmative, quia permittere non est inducere, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Unde S. Thomas hanc regulam ponit, 2<sup>a</sup> 2<sup>æ</sup>, q. 78, a. 4, o: « Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est: quia et Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum; ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum. » Hinc a peccato excusantur per se 1<sup>o</sup> parentes et heri qui filios aut famulos peccare sinunt, ut opportunam eos corrigendi occasionem inveniant; 2<sup>o</sup> custodes agrorum qui se abscondunt, ut damnicantes capiant et ab eis pœnam exigant<sup>3</sup>.

*Petes 7<sup>o</sup>* utrum liceat justa ex causa etiam occasionem peccati apponere.

*Resp.* affirmative probabilis, quia peccans sic non inducitur in peccatum, sicut non inducitur usurarius a quo mutuum petitur. Hinc non videtur peccare herus qui de industria clavem relinquit appositam aræ in qua pecunia

1. *Ibid.*, a. 8, o. — 2. *Ibid.* — 3. S. Ligor., lib. III, n. 58.

reconditur, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur<sup>1</sup>; ponit enim actum per se licitum, et cum sufficienti ratione.

*Petes* 8<sup>o</sup> utrum sit semper peccatum scandali, petere ab alio quod non est facturus sine peccato.

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Petere aut consulere absolute opus quod fieri non potest absque peccato, est semper peccatum scandali; quia hoc est directe inducere alterum ad peccandum. Dixi, « absolute, » quia, si quis esset determinatus ad grave peccatum, liceret ei suadere minus. Sensus enim non est quod absolute faciat minus, sed conditionaliter: « Si decrevistis facere malum, fac potius minus. »

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Si res quæ petitur fieri possit absque peccato, quamvis prævideatur alterum eam non facturum absque peccato, non est peccatum, justa subsistente causa, illam ab eo petere. Sic in necessitate licet petere mutuum ab usurario, sacramenta a malis ministris; quia qui sic petit ex justa causa, petit quod justum est et rationabile, et quod alter potest bene facere, si velit.

*Petes* 9<sup>o</sup> quid sentiendum sit de ornatu mulierum.

*Resp.* 1<sup>o</sup> Ornatus moderatus, pro decencia status, est per se licitus. Si eo utatur mulier ex levitate aut vanitate, peccat venialiter, propter inordinationem voluntatis<sup>2</sup>. 2<sup>o</sup> Ornatus excessivus, id est conditionem excedens, est per se venialis. Fit vero mortalis, si fiat ad provocandam virorum lasciviam, vel cum prævisione quod provocari debeat. 3<sup>o</sup> Ornatus immodestus, qualis hodie in quibusdam conventiculis usitatur, est culpabilis, pro gradu immodestiae. Peccatum est semper grave, etiamsi indecentia non sit gravis, si talis ornatus adhibeatur ad luxuriam incitandam. Peccant certe mortaliter mulieres quæ talem modum se componendi introducunt in loca ubi nondum vigeat, propter periculum quod inde pluribus nascitur<sup>3</sup>.]

1. Id., ibid. — 2. Id., ibid., n. 54. — 3. Id., ibid., n. 55.

## TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA

D. Thomas, II<sup>a</sup> II<sup>e</sup>, a. q. 57 ad q. 76.

### DISSERTATIO I

#### DE JURE ET DOMINIO

##### ARTICULUS I

###### *Quid et quotuplex jus?*

Dico 1<sup>o</sup>: Varie accipitur nomen *juris*: 1<sup>o</sup> pro eo quod justum est. Justum autem dupliciter sumitur: generaliter, pro omni eo quod est legi consonum; stricte, pro æqualitate alteri debita; dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur justari. Et jus sic sumptum est objectum justitiæ, ut infra dicemus.

2<sup>o</sup> Jus accipitur pro legitima facultate aliquid faciendi, acquirendi, possidendi, alienandi, etc.: quo sensu quis dicitur uti jure suo. Jus autem hoc secundo modo sumptum est fundamentum juris primo modo sumpti. Nihil enim est alteri debitum ad æqualitatem, sine jure in altero, quia quod est debitum, est juri debitum; sunt enim correlativa jus et debitum.

3<sup>o</sup> Sumitur jus pro lege, quæ est regula justii in genere. Unde ab hoc jure pendet jus secundo modo sumptum;